

05 A 540

05

A

540





25

I. N. 7.

ABRAHAM CALOVIUS,

SS. THEOL. P. PRIMARIUS,
PASTOR, CONSISTORII ADSESSOR,
SENIOR, ET SUPERINTEND. GENERALIS,
p. t. FACULTATIS THEOLOGICÆ
DECANUS,

L. B.

SALUTEM PL. PRECATUR
IN JESU REDIVIVO, PASTORE
ANIMARUM NOSTRARUM
GRATIOSISSIMO,

ANNO G. N. *cl* *lxx* *XXCI.*

89.

WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

*H. Henckelius
K. Suprat.*





05 A 540





DErqvàm illustris est
designatio *Hierarchie Ecclesia-*
sticæ à S. Apostolo instituta, & quidem
gemino loco: Tùm in *Ecclesia Corinthia-*
ca, I. epist. XII. 23. tùm in *Ephesina*, cap.
IV. II. *Illic* tres facit ordines sacræ Hier-
archiæ, quod nempe in Ecclesia primitiva fuerint *primò*
DOCENTES, *deinde* MIRACULA patrantés, *deniq;* ALIA
munia administrantes. Docentes porrò erant, vel qui
IMMEDIATA S. S. vocatione & inspiratione prædica-
bant, vel qui citra immediatum impulsus & afflatum do-
cebant: quorum *illi* extraordinarii Doctores fuère, *hi* or-
dinarii. *Prioris* generis erant Apostoli inprimis, quemad-
modùm Spiritus Sanctus disertè notam numericam addi-
dit. ΠΡΩΤΟΝ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥΣ, PRIMUM APOSTOLOS.
Hi scilicet primum & supremum locum in Ecclesiâ obti-
nebant, qui etiam *totius orbis Doctores* constituti erant,
utpote omnes in universum terrarum orbem emissi, ad do-
cendum verbum, per immediatam vocationem, & lega-
tionem CHRISTI, Matth. XXII. 19, 20, ut docerent
omnia, quæ ipsis mandaverat: idq; non minùs scriptis,
qvàm vivâ voce. Idcirco prædicârunt ἐν πάσῃ τῇ κτίσει
τῆ ἕως τὸν ἄραρον, *in omni creatura (humana,) quæ sub*
A 2 *cælo*

*cælo erat, Colofs. I. 23. & exiuit sonus eorum in omnem
 terram, & in extrema universi mundi penetrarunt verba
 eorum, Roman. X. 18. eis πάντων τῶ γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθῶς* (in Ebræo textu Hiero- Psaltis, unde hæc verba,
 transfumta sunt, habetur **וְהָיָה** REGULA EORUM,) si-
 quidem *vox Apostolorum* sit indubitata, & infallibilis RE-
 GULA & Canon doctrinæ fidei, & morum in Ecclesia, ut
 adeò rectissimè Græca LXX. Interpp. versio, & ipse S. Apo-
 stolus reddiderint *φθῶς* πάντων, etsi minimè legerint
וְהָיָה, uti Jesuitæ *Huntlaus*, & Cardinalis *Bellarminus*,
 comminiscuntur, neque ad *cursum Evangelicæ prædicatio-
 nis tantum accommodavit* Apostolus, quod in *Psalmo de
 cælestium corporum motu dictum erat*, quemadmodum *B.
 Glasfio*, in *Philol. Sacr. I. I. tract. I. p. 107.* visum fuit, unde
 & hic geminus *sensus* in paraphrasin Germanicam *Vinari-
 ensium* irrepsit, *literalis*, de *motu corporum cælestium*, &
mysticus, de *præconio Apostolorum*: *Quam secuta est* quoque
Reformatorum, in *Bibliis Lutheri Francofurto-Palatinis*,
 Anno 1663. edita *Glossa*, de *Regula in cæli fabrica* quasi
 literis signata. *Ihre Linie/Neigel/Vorschrift/Schrift/das
 ist: Es ist eben / als ob sie mit grossen Linien / und Buchstaben
 schreiben / und von ihrem Schöpffer Uns lehren. Vergl. Jes.
 XXIX. 10. Der H. Apostel zeucht (trahit, quod Spiritui S.
 inusitatum, nec adeò gloriosum) solches Rom. X. 18. auf die
 Predigt des Heil. Evangelii. Non enim loquitur Hiero-
 Psaltes de cælorum linea, vel regula, sed de prædicatione Apo-
 stolica, quæ verè regula est fidei, ideoque juxta explicatio-
 nem Paulinam, omni exceptione majorem atque infallibi-
 lem. Quod in Bibliis Illustratis in utriusque loci declara-
 tione satis demonstratum est: quemadmodum & geminus
 Scripturæ sensus Commentario in GENESIN in prolegom.*

cap.

cap. IIX. ex univēsa Scripturā prorsus eliminatus est. Scripturæ namqve Apostolicæ Regula resonat in univēsa Ecclesia, eamq; in fide, ac vita dirigit extra omne periculum, secundum promissum Christi, Joh. XVI. 13. & qvò non venit PES APOSTOLORUM, eò penetravit VOX EORUM, qvò non migrârunt Apostoli, qvi post excessum eorum nuspiam prædicare potuerunt, eò pervenerunt scripta Ipforum.

Nullus autem hic locus est PONTIFICI ROMANO, qvi nec Apostolus, nec super Apostolos hîc constituitur: Nullus *Cardinalibus*; nullus *Archi-Episcopis*, nullus *Episcopis*, neqve ullus omninò *Patriarchis*: qvorum designatio non à S. S. facta, sed liberâ constitutione Ecclesiæ, ut qvatuor vel quinque essent Patriarchæ, & Patriarchales Ecclesiæ: *Romana* nempe, *Constantinopolitana*, *Antiochena*, *Alexandrina*, & *Hierosolymitana*. De qvibus sub illo axiomate, neqve hîc, neqve uspiam in Scripturis, verba vel vestigium. Frontem autem omnem hîc exiit Cardinalis *Bellarminus*, qvando l. i. de Rom. Pontif. cap. IX. scripsit: *Pontificatum summum DISERTE positum esse ab Apostolo in illis verbis*, (Ephes. IV. II.) & CLARIUS adhuc 1. Corinth. XII. ubi ait: *Et ipse posuit in Ecclesia PRIMUM APOSTOLOS. Nam summam potestatem non esse solum datam, sed etiam aliis Apostolis*, (qvod verissimum est, ast disertè & clarissimè Cardinalis effato contrarium,) *sed Petro datam esse, ut ORDINARIO PASTORI* (ubi verò de illa concessione Petro ut ORDINARIO PASTORI facta, vel minimus apex in S. Scriptura habetur, annè illa merè commentitia est, utpotè Script. S. incognita? *(Cui PERPETUO SUCCEDERETUR: aliis verò TANQVAM DELEGATIS, QVIBUS NON SUCCEDERETUR.* (ubi verò PETRO & Successoribus SUMMUS PONTIFICATUS destinatus, vel concessus est?

Cede, *Bellarmino*, Tabulas probationum, cedit *universi*
Jesuitæ literas fiduciaras, quibus demonstrari possit saltem
Petri Pontificatus œcumenicus, quem ad Calendas Græcas,
vel Germanicas, è Scripturis docebitis; tantum abest, ut Suc-
cessoribus in Cathedra Petri, quam certè nunquam Ponti-
fex Successor Petri, Romæ habuit, ille concessus sit, ut nec
ipsum *Petrum* eum unquam habuisse, in clara luce jam po-
situm sit, per varia scripta Protestantium & Reformato-
rum, nec non per vanissimas locorum Scripturæ, *super*
hanc Petram, & *pascere oves meas* &c. detorsiones nuce causâ
inaniore, passivitis jam contractas.

Alter ordo ita habet: 2. Cor. XII. 28. *δὲ ἄλλοι προφήταις*,
SECUNDO PROPHEtas, quibus in altero loco Paulino
Eph. IV. 11. adduntur EVANGELISTÆ. *Propheta* autem
intelliguntur, non qui in V. T. vaticinati sunt per *Spiritum*
Christi 1. Petr. I. 11. & in primis JESU testimonium tulerunt,
quod in nomine ejus remissionem peccatorum consequantur
omnes, qui in eum credunt Act. X. 43. quorum scripta, juxta
cum Apostolicis fundamentum sunt, *super quod extruimur*
Eph. II. 20. Sed qui *Scripturas*, & in iis quoque vaticinia de
rebus futuris interpretabuntur 1. Cor. XII. 10. *juxta analogiam*
fidei Rom. XII. 6. ad quem ordinem pertinent Evan-
gelistæ, qui infallibilitatis dono præditi ea, quæ abstrusa &
incognita, si non ex toto, quoad certas tamen *περίστασις*
erant, scriptis consignarunt, in *S. Canone comprehensis*,
idque *Φερόμενοι ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ* 2. Petr. I. 12. utpotè
S. MARCUS & S. LUCAS. Præter quos commemoratur
Act. XXI. 8. PHILIPPUS, & TIMOTHEUS, jubeturq;
hic 2. Ep. IV. 5. *opus boni EVANGELISTÆ exequi*. Addunt his
& alii LXX. *discipulos* & similes, qui servierunt Apostolis in
prædicando *Evangelio*, etsi non ubique, ut Apostoli, sed
hinc

hinc inde prædicarint, uti *Priscilla & Aquila*, ut & *S. Stephanus*, & *Apollo*.

Tertius ordo est DOCTORUM, τῆτον ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΥΣ.
Quibus jungit Apostolus Eph. IV. II. *PASTORES*. Illi enim sunt universales Præcones, non adstricti ad certam Ecclesiam, sed instructi potestate per omnes docendi Ecclesias: quales διδάσκαλοι sunt, tum in Academiis, tum in Gymnasiis, & Scholis illustribus: Hi sunt, quos vocavit Sp. S. ad pascendum gregem, quem DEUS acquisivit sanguine suo Act. XX. 28. & præfecti sunt certo gregi præviâ vocatione divinâ, quem pascere tenentur, 1. Pet. V. 2. & pro cuius salute animarum vigilare muneris ratione debent, utpote de eo rationem olim reddituri. Ebr. XIII. 17. Conf. Ez. III. 19. seqq. De discrimine autem PASTORUM & DOCTORUM observanda est B. LUTHERI monitio T. II. Alt. p. 310. quæ ἰδιόλογως ita habet: Es ist gar viel ein ander Ding/ umb einen schlechten Prediger des Glaubens / und umb einen Ausleger der Schrifft / oder / wie es St. Paulus nennet / einen Propheten. Ein schlechter Prediger (ist war) hat so viel heller Sprüche und Textdurchs dolmetschen / daß er Christum verstehen / lehren / und heiliglich leben / und andern predigen kan. Aber die Schrifft auszulegen / und zu handeln für sich hin / und zu streiten / wider die irrigen Einführer der Schrifft / ist er zu geringe / das läset sich ohne Sprachen nicht thun. Nun muß man se in der Christenheit solche Propheten haben / die die Schrifft treiben / und auslegen / und auch zum Streit tügen / und ist nicht gnug / am heiligen Leben / und recht lehren. Darumb sind die Sprachen stracks und allerdinge vonnöthen in der Christenheit / gleich wie die Propheten oder Ausleger / obs gleich nicht Noth ist / noch seyn muß / daß ein teglicher Christ oder Prediger sey ein solcher Prophet / wie S. Paulus saget 1. Cor. XII. 8. 9.

Eph

Eph. IV. 11. Et paulò post: Darumb ist das auch ein toll Für-
 nehmen gewesen / daß man die Schrifft hat wollen lernen/durch
 der Väter auslegen / und viel Bücher und Glossen lesen. Man
 solte sich dafür auf die Sprachen begeben haben. Dann die
 lieben Väter / weil sie ohne Sprachen gewesen sind / haben sie
 zuweilen mit vielen Worten an einem Spruch gearbeitet / und
 dennoch nur kaum hinmach geahmet / und halb gerathen / halb
 gefehlet. So läuffestu demselben nach mit viel Mühe / und
 könntest dieweil durch die Sprachen denselben viel baß selbst ra-
 then/denn der / dem du folgest. Denn wie die Sonne gegen
 dem Schatten ist / so ist die Sprache gegen aller Väter Glossen.
 Quæ non contra Papistas tantum , sed etiam contra Ca-
 lixtum & affeclas probè notandum.

Ceteros ordines non jam prosequemur, quod etiam
 ab instituto præsentis nostro fortè alienum foret, utpotè qui
 ferè tantum ad Ecclesiam primitivam pertinebant, cum ad
 huc plantanda erat Ecclesia, non ad modernam, divinâ
 gratiâ plantatam, puta instructorum virtutibus, donis cu-
 rationum, muneribus variis olim usitatis, quæ ἀντιλήψεις
 & κυβερνήσεις dicebantur, ut & generibus lingvarum. i. Cor.
 XII. 28. 29. 30. cum quibus Conf. v. 9. & 10. ibidem. Finis au-
 tem horum Doctorum, qui extra ordinem, vel secundum
 ordinem vocati & missi sunt, juxta Eph. IV. 12. καταρτισμὸς
 τῶν ἁγίων erat eis ὁ ποδομὴν τῆς σώματος τοῦ χριστοῦ, Coagmen-
 tatio Sanctorum ad ædificationem corporis Christi.

Hunc etiam finem sibi in nomine Domini constitue-
 runt quing, nostri Doctorandi, & quum de quatuor poste-
 rioribus alio die jam dictum sit, de Quinto, nunc ordine pri-
 mo, in quod fastigium dignitas eminens, ad quam jure me-
 riti que, DEO sic dirigente, vocatus est, ipsum evehit, pau-
 cis adhuc dicendum videtur. Dicam autem non meis sed
 ipsis mi

ipfissimis *Summè Rev. Dn. Doct̃orandi* verbis, quæ *modestie ac reverentia* exemplum aliis perillustre præbent, nullo iisdem addito verbulo, quæ sc. *Vir magnus, Orator aliàs disertissimus, nostræ quæ atatis Chrysofomus*, in diversorio, in itinere, turbis cinctus, in chartam *ἀνοχῆσαςί* conjecit.

Natus, inquit, Lipsiæ 17. Januar. 1647. honestis parentibus, Patre *Dn. Job. Benedicto Carpozovio*, Doct̃. & Prof. Publ. Acad. Lips. & ad D. Thomæ Ecclesiastæ, Canonico Cizensi, & Consist. Eccles. Assessore, qui patrem hujus quondam Academiæ Professore, Jctum, Consiliarium Elect. Sax. & Viduæ Elect. Sax. Sophiæ fel. mem. Cancellarium, *D. Benedictum Carpozovium Seniore*m, matrem *Christinam, Samuelis Seelfschii* Consulis Witteb. filiam habuit: Matre *Elisabethâ Wriefpennigiâ*, mercatoris primarii Lips. filiâ.

Postquàm institutioni privatorum Præceptorum, *Dn. M. Godofredi Sternbergeri*, & *Dn. M. Job. Godofredi Herrichii*, quorum alter hodiè in Illustri Scholâ Misenensi Afranâ Con-Rectoris, alter in Scholâ Nicolait. Lips. Rectoris partes cum laude & commodo discendi cupidæ pubis obit, publicam in Schola Thomanâ conjunxisset, *Dn. Christiani Horlemanni*, *Dn. M. Georgi Crameri*, & in primis maximi Literatoris ac Theologi, *Dn. Frid. Rappolti*, τὸν ἐν ἀγίαις, informatione usus; Academiæ postea patriæ Professores celeberrimos, *Dn. L. Job. Sigismundum Schwenckium*, Pastorem dehinc Lunæburgicum, jam beatum, ejusque in professione Logicâ ac Metaphysicâ dignissimum Successorem, *Dn. D. Valentinum Alberti*, *Dn. Christian. Frid. Frankensteinium*, *Dn. Jacobum Thomasi*um, & paulò antè laudatum, nunquàm laudandum satis *Rappoltum* suum, publicè privatimq; Logicam, Metaphysicam, Poësin, Oratoriam, Sphæricam, Physicam, Historiam, Geographiam, & Practicam Philosophiam docentes sedulò audivit.

B

Anno

Anno 1663. primam in Philosophiâ lauream, & Anno 1666. m. Januario Magistri indeptus titulum, in super & A. 1668. ad disputationem pro Loco in Facultate Philosophicâ (quam contra Scholasticorum possibilem sine novitate essendi creationem absq; Respondente defendit) admissus, cum Philosophiæ ac humanitatis studiis, augustissimum SS. Theologiæ conjunxit. In Ebraicis Summè Rev. Dn. D. *Job. Adami Scherzeri*, & fratris Germani, D. *Job. Bened. Carpozovii*, in Theticâ Polemicaqve Theologiâ ejusdem Scherzeri, (sub cujus & præsidio contra Socinian. de mysterio SS. Trinitatis disputavit) & *B. Hieron. Kromayeri*, & Dn. D. *Val. Alberti*, & *B. L. Simonis Löffleri τῆ βῶν ἐν ἀγίοις*, quem & præcipuum in homileticis hodegetam laudat, discipulus.

Digressus hinc in Wittebergensem Academiam ædibus ac mensâ Summè Rev. & Magnif. Dn. D. *Abr. Calovii* receptus & benignissimè habitus, in sextum annum ejusdem solidissimæ institutioni in controversiis Theologicis & Chronologiâ sacrâ, multum acceptū refert. Sed & maximè Rev. Dn. D. *Job. Meisneri* Colleg. disputatoriis, & Dn. D. *Æg. Strauchii* Scholis lector. disputatoriis, thetico-polemicis, moralibus, & Casuisticis, tum Computisticis, & in Historiam Ecclesiæ institutis, sedulò interfuit: Contra Grotium sub Præsidio perpetuò colendi sibi Hospitis ac Præceptoris sui ad Matth. XVII. & XVIII. disputavit publicè, seqve homiliis ad populum, in utroq; templo habendis, exercuit.

Constituerat secum Academias Giessenam, Tubingensem & Argentoratensem maximè, quòd intelligeret, quantum ex scriptis Theologorum, quos summos semper illa habuit Academia, profecisset, adire. Sed intervertit hoc consilium Serenissimi Electoris Sax. Divi *JOH. GEORGII II.* voluntas clementissima, quâ ad docendam Poësin, quam Professionem ab Anno 1670. ultra quadriennium sustinuit,
vocatus

vocatus est, aperiendis etiã scholis Theologicis in gratiam tyronum interim vacans. A. 1674. laudatissimus Elector ^{II} illum ad Concionatoris Aulici munus clementissimè evocavit, cumq; ante hoc triennium Dn. D. *JOH. ANDR. LUCIUS* ex Aulã ad urbis Dresdensis Pastoratum & Diœceseos Ephoriam vocaretur, in illius locum ascendere jussus est. Jamq; autoritate Serenissimi Successoris Filii, *JOH. GEORGII III.* summos in Theologiã honores petere jussus &c.

Qvem proinde, uti eruditione Theologica præcellenti, meritisq; in Ecclesiam jam illustrem Licentiati titulo nuper maectavimus, ita nunc illi, & cæteris Dominis Competitoribus, summos in Theologia honores & privilegia Doctoralia, ad proximum Jovis diem, h. e. XXIIII. Aprilis hor. matutin. Collegium nostrum Theologicum conferet: utpotè

VIRIS

Maximè Reverendis, Amplissimis, Excellentissimis,

- DN. L. SAMUELI BENEDICTO CARPZOVIO, LIPSIENSI MISNICO, SERENISS. SAXONICI ELECTORIS ECCLESIASTÆ AULICO HACTENUS, NUNC VERO DESIGNATO ECCLESIAE DRESD. PASTORI, ET DIOECESEOS STIUS SUPERINTENDENTI.
- DN. L. GEORGIO WAGNERO, RADEBERGA MISN. PASTORI, ET SUPERINTENDENTI ZAHNENSI.
- DN. L. JOHANNI NICOLAO JACOBI, LAUSSENSI MISNICO, PASTORI, ET SUPERINTENDENTI PRIMUM GOMERANO, JAM LEISNICENSI.
- DN. L. GEORGIO SCHWARZIO, GRYPHISWALDENSI POMERANO, PASTORI STARGARDIENSI AD D. JOHANNIS, ET AUGUSTINI, ET S. THEOL. PROFESSORI IN GYMNASIO GROENINGIANO.
- DN. L. PAULO CHRISTOPHORO MARTH, MANSFELDENSI, PASTORI, CONSISTORIALI, ET SUPERINTENDENTI DIOECESEOS SONDRERSHUSANÆ IN COMITATU SCHWARZBURGICO.

Fiet

Fiet autem id, cum DEO, sub Auspiciis SERENISSIMI
ET POTENTISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI, DOMINI
JOHANNIS GEORGII III. DUCIS
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIUM, S. R. I.
ELECTORIS ET ARCHIMARESCHALLI, LANDGRAVII
THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, ET UTRIUSQVE
LUSATIÆ, SUPERIORIS ET INFERIORIS, BURG GRAVII
MAGDEBURGENSIS, COMITIS PRINCIPALIS HENNE-
BERGICI, COMITIS IN MARCA, RAVENSBURG, ET BAR-
BY, DOMINI IN RAVENSTEIN, DOMINI, ET NUTRITII
NOSTRI CLEMENTISSIMI.

RECTORE MAGNIFICO, SUMME REVERENDO, AM-
PLISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DN. D. JOHANNE ANDR QVEN-
STEDT, PROF. THEOL. CELEBERRIMO, ET ALUMNORUM
ELECTORALIUM EPHORO PRIMARIO.

PROMOTORE DESIGNATO, MAXIME REVERENDO, AMPLIS-
SIMO, EXCELLENTISSIMO, DN. D. JOHAN. DEUTSCHMANNO,
PROF. THEOLOGO ITIDEM CELEBERRIMO, ET ALUMN.
ELECTORALIUM INSPECTORE DIGNISSIMO.

PROCANCELLARIO FACULTATIS THEOLOGICÆ
DECANO, D. ABRAHAM CALOVIO.

Ad quam festivitatem, honorificâ præsentia exornan-
dam, *Rectorem Academia Magnificum, Patronos item Gene-
rosos & Strenuos, Patres & cives Academicos universos, Ho-
spitesq; ceteros benevolos, reverenter, observanter, & amicè,*
nomine Facultatis Theologicæ, invito, paria cum illâ vicis-
sim redditurus animo promptissimo. *DEUM autem nostrum
orabitis NOBISCUM, pro felici, pacifico, & ab omni malo libe-
ro regimine Potentissimi nostri Magistratûs, nec non pro Aca-
demia nostra sub RUTA ELECTORALI SAXONICA gra-
tiosissimâ conservatione, ac perenni semper celebritate.* P. P.
sub sigillo *Facult. Theologicæ* Universitatis Electoralis, quæ
Wittebergæ est Saxonica, d. XXIIIX. Aprilis, VITALI
MARTYRI in fastis sacro, Anno G. N.

clb lcc XXCL

05 A 540

ULB Halle

3

004 208 331




6011

01







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

25

I. N. 7.

RAHAM
LOVIUS,

DL. P. PRIMARIUS,
ONSISTORII ADSESSOR,
SUPERINTEND. GENERALIS,
ULTATIS THEOLOGICÆ
DECANUS,

L. B.

TEM PL. PRECATUR
REDIVIVO, PASTORE
ARUM NOSTRARUM
GRATIOSISSIMO,

O G.N. cl^o l^o XXCI.

89.

WITTENBERGÆ,
ATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

Handwritten signature